

„ stimulis proorsus remotos esse SANCTITAS
 „ VESTRA certò cognoverit.

„ Secundum est, nè libri hujus examen
 „ committatur, nisi Theologis, qui longo
 „ linguae Gallicæ usu satis exercitati sint, ut
 „ necesse non sit ad versiones recurrere, for-
 „ tasse minus accuratas. Increbuit enim ru-
 „ mor, SANCTISSIME PATER, ad hoc exa-
 „ men adhibendam esse Latinam quādam
 „ versionem, nec meam, nec à me unquam
 „ lectam, nec à Gallis hominibus concinna-
 „ tam, nec ad posteriores editiones Gallicas
 „ emendatam; ad quām proinde minus
 „ æquum esset, libri hujus discussionem re-
 „ vocari.

„ Tertium est momenti longè gravio-
 „ ris, quod, BEATISSIME PATER, à Clementiâ,
 „ & æquitate vestrâ instantissimè flagito, nè
 „ scilicet inauditus, & indefensus condem-
 „ ner. Si enim justæ defensioni locus, ipsiſ
 „ etiam sceleratis, vel apud gentes immani-
 „ tate barbaras, semper reservatur, quantò
 „ æquius est, ab Apostolica Sede non dam-
 „ nati Sacerdotem inauditum, hâc præser-
 „ tim occasione, ubi non de obscuro quo-
 „ dam, ac nullius momenti libello agitur,
 „ sed de eo libro, qui autoritatem jam ob-
 „ tinuit longo fideliū ūſu corroboratam,
 „ legitimorumque Superiorum, ac gravissi-
 „ morum Episcoporum, & Theologorū ap-
 „ probatione confirmatam: Quo judicio pe-
 „ riclitante, simul totius ferè Galliæ, qua-
 „ librum hunc finè offensione per annos plus
 „ quām quadraginta legit, judicium in di-
 „ scriben adducitur. Advolutus igitur ani-
 „ mo ad SANCTITATIS VESTRÆ pedes enixè sup-
 „ plico, ut Clementia Vestra jubeat com-
 „ municari tecum, ac declarari mihi propo-
 „ sitiones eas, que sigillatim excerptæ, &
 „ quasi censurâ dignæ ad Apostolicum Ve-
 „ strum Judicium delatae sunt: ut, si qua pro-
 „ positio sit, aut manifestè erronea, aut qua
 „ ad errorem vel tendat, vel tendere posse
 „ videatur, eam absque ambiguitate, aut ter-
 „ givertatione, vel retractem, vel explicem,
 „ nè quis de doctrinâ, aut mente meâ, aut
 „ de vero, & genuino libri mei sensu dubi-
 „ tandi locus superfit, unde facti quæstio rur-
 „ sum enascatur, . Hac Quesnelli.

Primum postulatum antequâm propone-
 retur, concessum à Sanctissimo Patre est, adeò,
 ut nullus è Consultoribus, vel Qualificatori-
 bus ad libri, vel propositionum examen adhi-
 bitus sit, nisi quem doctrinâ, morumque integri-
 tate probatum, ab omni suspicione intactum, &
 à partium studio, atque ab amoris, & odii fi-
 mulis proorsus remotum esse Pontifex cognove-
 rit. Sed quando id Quesnello persuadebitur,

quando cæteris Jansenistis, quibus nemo do-
 cens est, nemo pius, nisi qui impiis eorum er-
 roribus consenserit? Fueritne in Theologo-
 rum delectu magis providus CLEMENS, quām
 Innocentius XI. contra Propositiones triginta,
 & unam? Dum Pontifex ille damnavit ar-
 ticulos sexaginta quinque, quos Janseniana
 charitas solis suis tribuit adversariis; tunc
 quidem os Domini locutum est, tunc Sapienti-
 sum, & exquisitum fuit Consultorum, alio-
 rumque ad censuras concurrentium judicium.
 At quando propositiones triginta, & una
 Jansenizantium, ab eodem Pontifice examini
 subditæ, & gravibus dignæ censuris judicatae
 sunt, Decretum autem ab Alexandro VIII.
 promulgatum est; tunc Justitia Romanum Tri-
 bunal destituerat, tunc Consultores, & qui-
 cunque Theologi ad examen vocati, uti, &
 Eminentissimi Cardinales Doctrinæ, pruden-
 tiae, integratæ expertes penitus fuere, uti,
 & eorum decessores, qui Baji, & Jansenii op-
 niones censuerant proscribendas. Ita Ques-
 nellus in Epistola typis edita fictio Abbatis
 nomine ad quendam Romanæ Curia Prælatum:
 Illic maxima pars Cardinalium, & Theologo-
 rum (quos Pontifex ad Propositionum cen-
 suras adhibet) nihil intelligit. Illic Censores
 Romani modicam habent antiquitatis notitiam,
 imò sèpè ignorant, quod in novis Theologis est
 optimum: Susdequo per nefas condemnant pro-
 libitu, quidquid non consentit cum ideis suis
 Theologis, quæ sèpè falsissime sunt, vix quid-
 quam habentes de Theologia Patrum.

Jansenistarum vulgo Candidorum Princeps
 in prologo galeato ad Jansenianam panegy-
 rim pag. 31. ex Sanctamoreo ait: Factum vidit
 Roma, ut ii, quorum plerique, teste P. Pascaligonio,
 S. Augustini scripta nec à limine salutaverant,
 ac multi nè vel prima principia, vel ipsos terminos
 rei, de qua tractabantur, intelligebant, judi-
 cium tulerint. Et tamen ibidem citato Cardi-
 nale Sacchetto teste, in Urbe non fuere Theo-
 logi magis periti, & idonei, quibus liceret de
 materia tanti ponderis pro merito sententiam
 dicere. Adeò misera est Urbis conditio, tanta
 doctorum hominum illic raritas, vel potius
 inopia, & omnimodus defectus, dum Janseniana
 hæresis, & quæcunque connexa illi no-
 vitas proscribitur. Solos scilicet se sapientes,
 solos se eruditos hæretici jactant, inquit Alex-
 ander Patriarcha Alexandriae apud Theodo-
 retum, & S. Irenæus lib. 1. contra hæreses
 cap. 1. Nos quidem arguunt quasi idiotas, &
 nihil scientes, semetipſos extollunt.

Non minus certus debet esse Pontifex,
 quantumcunque probos, & integerrimos
 Censores delegerit, iniquos fore, & pravis
 animi affectibus impulsos, si quid Quesnello
 di-